

241

Handwritten text in a Gothic script, likely a page number or title, partially obscured by a red and white striped border.



DECANUS *Jac. Thomaf.*
FACULTATIS PHILO-
SOPHICÆ

IN
ACADEMIA LIPSIENSI
Lectorem Benevolum salutāt, &

ad Actum publicum
Renunciationis

BACCALAUREORUM

PHILOSOPHIÆ

*Crastino mane celebrandum
officiosè invitāt*

PP. Die VI. Novemb A. C. M DCLXIII.





Vod per ætatem proximam Pannonici propugnaculi interceptione detrimentum passa est res Christiana, in eventus futuri expectationem adeò crexit omnium animos, ut nesciam, an majore studio hãc rerum facie quicquam agatur, quàm ut Imperiorum hinc Romani, illinc Ottomanici fata alii examinent, alii examinantibus, aut quamcunque divinandi artem professis, aures ultrò suas obtrudant. Nimirum futuri perinde anxios adversæ res faciunt, ut prosperæ securos, quòd compertum sit, vices rerum temporibus mutari: quod autem mutari cupit quisque, ab eo avertit oculos in meliora; quod non cupit, in eo defixos retinet unicè, ne fructu copiæ præsentis ipse se privet. Adde, quòd in ipsam mundi notet ætas nostra inclinavit. Ubi quieta nox est, ablegatis à securis somnum capiunt mortales; ubi primùm incendii forte significationem è turri malleus dedit, furgitur confestim è strato, curritur ad fenestras, num quod indicium se prodat, sive remotæ flammæ aut fatiscantis, unde modum pavori statuere: sive propinquæ aut insuperabilis, unde rebus tuis, quoad licet, consulere queas. Jam est in se quidem *futurorum sollicitudo* res homine dignissima: quandoquidem à mutis animantibus vel in hoc egregiè distat nostrum genus, quòd illa in diem ferè, paucissimis exceptis *a*), vivunt, neque nisi ad præsentia *b*) excitaras habent cupiditates; nobis contra futurorum capax spiritus, & inquieta sæpè in utramque sortem præstolatio est. Ut certum sit, mittendis in longinqua cogitationibus officium nos facere, cui simus ab Autore naturæ destinati. Sed est tamen hinc non minùs culpæ locus, quàm laudi, quando idem nos de crastino sollicitos esse vetuit *c*), qui alibi *d*) commendabilem inducit

a) Ut formicâ, quæ am ideò ignavis exemplum proponit Rex sapiens Prov. 6,6. Adde cap 30,25. *b*) Nam nec præteritorum sensu afficiuntur, nisi quamdiu recens est objectum, aut ejus actio: nec futurorum ullo judicio aguntur, nisi quum etiam instat objectum. In quibus omnibus dignoscendis voluit Creator esse illa multo certissimo & acutissimo sensu, & longè perfectiore, quàm in homine videatur. Quanto enim præsentia sagaciora fecit, ut præsentibus objectis acutissimè moverentur. Postell. lib. I. de Orb. Concord. c. 21. f. 119. *c*) Matth. 6,34. *d*) Luc. 16,8.

ducit villicum, cætera malum eum quidem, sed hæcenus prudentem, quòd in casus inopiæ futuræ de amicis ac præsidio sibi prospexerat. Habemus ergò dignum morali doctrinâ locum. Adest affectus, qui ratione gubernari postulat, cupiditas futura contingentia tum sciendi, tum ordinandi. Adsunt utrinque cavenda præcipitia, hinc *Curiositatis*, quæ præcurrendo, illinc *Securitatatis*, quæ dormitando modum deserit honesti. Ac vitiiis quidem his duobus jam dudum sua sunt facta nomina. Virtuti ipsi nomen peculiare, quod scire liceat, nemo indidit. Audeamus aliquid, & vocemus *Provisionem*. Tacuit eam fateor Aristoteles in libris Philosophiæ moralis, sive quod non magno perè laborandum sibi putavit de iis virtutibus, quibus nec leges civitatum ferè caverent, nec hominis cum homine commercium apertè tangeretur: sive quòd excessum cupiditatis istius, quippe quæ in ἡδὺ φύσει αἰρετὸν δι' αὐτὸ ferretur, levi tantum culpæ, non gravi obnoxium existimavit; nam in hunc sensum quoque de excessu affectûs, quo liberos parentesque prosequimur, septimo Nicomacheorum e) differit: seu denique, quia non omnia persequi minutatim decrevisset, satis habens, pro quatuor virtutibus, quas solas nominabant vetustiores, esse ab se haud paulò plures demonstratas. Quæ ipsum cunque causa induxit ut omitteret: non planè omisere nostri, dum *sedulitatem* f) speciebus virtutum annumerantes vim ejus ac naturam docent g) in eo sitam esse, ut studeamus, quod Apostolus h) jubet, ἡσυχάζειν, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια. Quorum illud *Curiositati* adversum est, & τῇ πολυπραγμοσύνη i), hoc *Securitati* atque Ignaviæ. Sedulitatis hujus saltè appellare partem id, cui Provisionis

Voca-

e) cap. 4. p. 383. his verbis: μοχθηρία μὲν ἕδμελα πρὸς ταῦτ' ἐστὶ, διὰ τὸ εἰρημῶν, ὅτε φύσει τῶν αἰρετῶν ἰκαρὸν ἐστὶ δι' αὐτὸ. Φαῦλαι δὲ καὶ φευκταὶ αὐτῶν εἰσὶν αἱ ὑπερβολαί. Μοχθία distinguit inter φευκτὸν & ψευκτὸν, planè ut p. 281. inter ἀμαρτίαν & κακίαν. Ἀμαρτία leve ipsi & veniâ dignum erratum est, (hinc & ἀμάρτημα ἄνευ κακίας esse pronunciat lib. V. c. 8. p. 219.) κακία verò quæ & μοχθηρία, gravis noxa. f) De hac virtute legendi Phil. Melanchth. Tom. II. Oper. f. 885. Tom. III. f. 135. 340. Strigel. Hypomn. in Eth. Philip. p. 12. Dav. Chytr. Reg. vit. p. m. 239. Keckerm. II. Syft. Eth. c. 4. Timpl. II. Eth. 9. Alstedius (in cujus nomine pee anagramma est *Sedulitas*) Tom. III. Encyclop. fol. 58. Gutberl. c. 12. Eth. p. 32. g) vid. Phil. Mel. Tom. II. Strigel. Chytr. Alsted. d. l.

h) I. Theff. 4. II. i) Faciunt autem extrema Sedulitatis, in excessu πολυπραγμοσύνην (Timpl. Alsted. & Gutberl. curiositatem; Keckerm. nimiam diligentiam & satagentiam;) in defectu Ignaviam seu negligentiam,

vocabulum dedimus, nihil est quod vetat. Philippus certè Melanchthon *k)* sollicitudini *diligentiæ* seu sedulitatis sollicitudinem opponit *diffidentia*, hujusque exemplum statuit Saulem, de belli exitu anxium, quodque non speraret auxilium à Deo, consulentem Magos. Atqui huc traxerat miserum impotens scrutandi futuri cupiditas. Eadem Alstedio *l)* mens fuit, inter sollicitudinem *artis & eventus* hinc distinguenti, citantiq̃ue dicta scripturæ: *Nolite solliciti esse de crastino m): &: Quæ mandavit tibi Deus, sanctè cogita: nec opus est te scire abscondita n)*. Fac etiam recentiores Ethicos tacuisse: tamen operæ pretium est, officium hominis circà *futura* exploratum habere: præsertim cum illa sciendi præveniendique ambitio hæreditariâ peste à primis parentibus *o)* in nos derivata, nisi ratione frenetur, tristissimas publicè pariter & privatim calamitates apportare soleat. Ab his quidem temporibus virtutis hujus ad Philosophiam Christianam conformata inculcatio minimè aliena esse, ac usum potius illustrem habere videtur. Cæterùm omne circà eam prudentiæ dictamen à varietate ferè pendet *futurorum*. Quorum æterna sunt quædam, alia caduca. Rursum aliâ subjecta potestati nostræ, ut actiones, alia exempta, ut eventus. Eventuum quidam absconditi à Deo, & quæri prohibiti, quidam revelati. Revelatorum denique alii clarissimè prædicti, alii per ænigmata, non cuivis antequam impleantur prædictiones, tentanda temerè. Cum autem suprâ cupiditatem quoque fecerimus duplicem, unam *sciendi* futura, *ordinandi* alteram: hæc eorum est videlicet, quæ habemus in potestate; illa eorum, quæ non habemus. Jam primùm provisionem nobis *æternorum* longè longèq̃; majorem esse debere, quàm temporalium, ad eò certum est, ut invisibilium comparatione (ea verò sunt æterna,) ne quidem respicere ad visibilia, signum constituat Apostolus *p)* hominis Christiani: ipseque nos Dominus Jesus *q)* intuitu Dei, qui animam pariter atque corpus perdere potest in gehennâ, vetet eos timere, qui corpus occidere possunt, animam non possunt.

k) Tom. III oper. f. 135. *l)* Tom. III. Encycl. f. 59. *m)* Matth. 6. *n)* Sirac. 3, 22-23. *o)* in quorum peccato non dubium est fuisse *πολυπραγμοσύνην* quoque. Immensum circà futura desiderium in miserâ hominum naturâ accusat & Peucer. p. 2. de divinac. *p)* 2. Cor. 4, 18. *q)* Matth. 10, 28.

sunt. Itaq; & idem r) cavere præcipit, ne sollicitudinibus hujus vitæ sic implicemur, ut illa tremenda dies judicii, tanquam laqueus aviculam escæ imminentem, derepente opprimat incautos. Alibi s) stultitiæ reum agit, qui cum in annos plurimos uberem annonam ventri providisset, animæ proximâ nocte ab se repetendæ non prospexerat de illo momento, à quo tota suspensa esset æternitas. Nimirum hæc sunt illa *novissima* (quatuor t) numeraverunt pii Scriptores) quæ quicquid egerimus, ex consilio Siracidæ u) intuenda sunt. Equidem ea sic moderari, ut res in perpetuam illam nulliq; mortalium sensui obviam felicitatem exeat, ex nobis, ut ex nobis vv) non valemus: sed est tamen, qui & velle operatur in nobis, & perficere x). Cujus ductui si obsecundaverimus, quid animabus nostris corporum ergastulo solutis futurum sit, accuratissimè divinare nihil habet difficultatis. Neq; enim fallere potest, qui edixit y), omnes, qui credunt in filium Dei unigenitum, minimè perituros, sed vitam habituros æternam. Sanctum hoc haruspiciæ genus est, cum per apertum lanceâ latus in hostiâ cruci pro nobis affixâ fissum cordis inspicimus, & in eo prædestinationem suam quisque legimus. Extorum hæc arte contemptâ nescio quas absoluti decreti tabulas rimari sacrilegium est. De æternis ubi spes nostras in tuto collocaverimus, secundas curas ad hæc mortalia flectere nusquam prohibuit Deus. Verùm & hîc intrâ certas metas continere se debet Provisio: ne alienis officiis nos ingeramus: ut ea tantum, quæ mandata sunt cuique, cum fide & industriâ exequamur: eventum, quando eum Deus salubri consilio absconditum esse voluit z), ne anxie scrutemur: sed qualiscunque futurus ille est, certum habeamus, diligentibus Deum nihil fore, quod non cedat salutem a). Hoc enim illud est, quod *solicitudo crastini* nobis interdicitur in Evangelio b). Quo loco consideratu digna Philippo Melanchthoni c) visa res est;

r) Luc. 21, 34. 35. s) Luc. 12, 20. t) totidem dictis à nobis modò representata. *Primum* mors cujusque, de quo Luc. 12. *Alterum* dies judicii, Luc. 21. *Tertium* æterna damnatio Matth. 10. *Quartum* æterna gloria, 2. Cor. 4. u) Eccl. 9, ult. vv) 2. Cor. 3, 5. x) Philip. 2, 13. y) Joh. 3, 16. z) Ecclesiastæ 7, 14. a) Rom. 8, 28. b) Matth. 6. c) ad Evang. Dom. XV, post Trinit. Tom. III. oper. f. 133. ubi quidem præceptum Christi confert tantum cum Epicureorum dogmate.

similes sententias dissimilimâ ratione dici. Nam & ex Epicuri *d)*
 placitis Horatius *e)* hoc protulit: *Quid si futurum cras, fuge quaerere.*
 Et Lucilium suum vetat *ex crastino pendere*, hodierno
 manum injicere jubet Seneca Stoicus *f)*. Falletur opidò,
 si quis eodem argumento duci putabit & Christi, &
 Zenonis, & Epicuri discipulum. Nam quòd nos even-
 tum securi præsentia interim agimus, fiducia filialis opus est,
 cùm sciamus esse nobis patrem in cœlis, qui si floribus vestem
 induit, aviculis mensam sternit, nostri longè exquisitiorem
 curam non potest non habere. Huic Providentiæ hinc Fati ne-
 cessitatem Zeno, illinc temeritatem Fortunæ opponit Epicu-
 rus, non minùs secum ipsi pugnantes, quàm adversi nobis, & in
 idem tamen vivendi præceptum ex tam dissidentibus, quod mi-
 rere, principiis, conspirantes: cùm stultum videretur alteri,
 laborare hominem in rebus ne divinâ quidem potestate muta-
 bilibus; alteri quærere scientiam in re incertissimâ. Ambo-
 bus ergò vel perficiendi, vel intelligendi desperatio solitudi-
 nem excusit futuri. Nos contrà & curas illas ponimus, quia
 credimus eas pro nobis geri à Deo, & eruditam putamus igno-
 rantiam eorum, quæ Magister optimus nesciri iussit *g)*. Itaque
 & fata nobis nostra expositu siderum aut incisuris manuum,
 aut aliis verbo Dei *h)* prohibitis signis pollicentes a versatione
 generosâ repudiamus. Hæc ergò illa homine Christiano di-
 gna Provisio est, hinc securitatem declinans, illinc præsciendi
 luxuriam resecans. Cujus præcepta si ad Turcici Belli me-
 tum transferre libet, quid agendum cuique sit, promptum fue-
 rit statuere. Qui ad clavum sedent Reipubl. prudentiâ, forti-
 tudine, constantiâ suâ hostiles impetûs retundent. Cæteri quî-
 bus aliud quodvis, quàm gerendi belli, datum est negotium,
 ne simus ἀδύοτεροεπίσκοποι: cumque nemo certè de nobis ad
 communem calamitatem non aliquid contulerit culpæ, nostra
 potius ipsi vitia quàm aliorum sive supinitatem sive nequitiam
 incu-

d) vide Cic I. de fin. p. 61: Senec Epist. 15. Gassend. Tom. II. oper. f. 675. *e)* I. Od. 9.
 Emilia leguntur od. 11. & II. od. 16. & III. od. 8. & 29. *f)* cit. Gassend. d. l. *g)* *Nesci-*
re velle, quæ Magister optimus Docere non vult, erudita inscitia est. Scalig. *h)* Deut.
 18, 10. seq. Vid Brochmand, Tom. I. System. Theol. Artic. de Creat. c. 1, q. 10. p. 211.
 Fuller I. Misc. 16.

incusemus. Nobis irascamur, nos emendemus, non in alios, quibus iudices dati non sumus, spargamus maledicta. Orando & placando Deo faciamus officium, non iram eius conspurcando parodiis ludicris Evangelio, cumulemus. DEUM propitium si habebimus, quicquid eveniet, bonum erit. Sive enim, quod meriti sumus, tempestas hæc fortunas nostras, corpora, vitas involvet, transibitur ad meliora: sive, quod meriti non sumus, prosperam Reipubl. vicem redonabit Deus, tantò sapidius erit hoc beneficium, quantò nullas in probitate nostrâ sperandi reperiebamus causas. Sed volupe tamen est scire, utrum è duobus futurum sit: & de Orientali Antichristo habentur vaticinia in sacris. Habentur: verùm fortè vix satis ante eventum explicabilia, Itaque non damnabitur quidem planè modestum ea interpretandi studium: periculum est tamen, ne Turcarum futuram sortem per temporum certa spacia digerentibus non magis res procedat, quàm iis, qui annum sibi reperisse visi sunt, quo mundus conflagraret. Certa nobis ea est conflagratio: horam ipsam in arcanis esse voluit Deus. Augustinus sanè de tempore novissimæ persecutionis differens: *Omniùm inquit i), de hæc re calculanti in digitos resolvit, & quiescere jubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ pater in suâ posuit potestate.* Neque verò extrâ scripturæ sacræ tabulas quicquam se pandit, in quo tutum pedem figat divinatio. Nam quòd VVeigeliani k) palliandis, ut apparet, visionibus suis, disputant, non in nostrâ minùs Ecclesiâ, quàm olim in Judaicâ, esse certum Ephod oportere, per quod de bello Turcico consulatur Deus, somnium est Veteris Novi que fœderis discrimina ignorantium. Ab astris verò expectari quantum certitudinis queat, vel Davidis Herlicii manifestum exemplo est, qui sub finem superioris seculi Pannoniam miserè vexante Turcâ regnî ejus interitum brevi futurum libello l) prædixit jucundiùs scri-

pto
 i) XVIII. de Civ. Dei c. 53. k) Vid. VVilh. Lyseri Disp. de Prophetiis sect. IV. §. 2. p. 89. recuf. A. 1650. l) edito A. 1596. von des Türckischen Reichs Untergang/ tit. Tractatus Theologuſtronomistorici. Biennio post similia vulgavit, Herlicii vitula in multis (quod collatio docebit,) arans M. Andreas Angelus Struthiomontanus im Bericht von Johann Hiltten/sampt etlichen Weissagungen von Untergang des Türckischen Reichs.



pto quàm veraciùs, tametsi Planetis suis fidem ex variis alio-
rum vatum, sacrorum pariter, ac profanorum oraculis adstru-
ere laboraverat. De Helisæo Rösliuo quid dicam artis Chal-
daicæ magno præcone? Qui Matthiâ imperante scribens, &
hunc ipsum, quem agimus, annum sexagesimum tertium diser-
tè nominans, nescio cujus universalis boni, quod orbem to-
tum exhilararet, feracem eum fore ex stellâ anni 1604. pronun-
ciavit *m*). Quid futurum sit antequam novum annum inchoet
Januarius, pauci qui restant dies declarabunt. Quæ quidem
in Hungariâ gesta sunt hæcenus, nihil minus esse, quam bonum
universale, magis, quam optaremus, est manifestum. Scruta-
rentur ergò has tales prædictiones, quibus libitum est decipi.
Venerentur hos Prophetas, quos sua prurigo in vetitum im-
pellit. Nos futura Clementissimo Patri permittentes officium
præsens facimus, & nomina sex Juvenum humanissimorum,
quibus diligentia præmia non preces magis ipsorum, quàm ju-
sto examine spectata merita exoraverunt à nobis, publicæ gra-
tulationi hæc exponimus:

JOHANNES PHILIPPUS Lindener/ Lipsiensis.

DAVID Scheman/ Dœbelensis.

**FRANCISCUS CHRISTOPHORUS Berens/
Luneburgensis.**

GOTFRIDUS Wiesener/ Raceburgensis.

JOHANNES Crüger/ Regiomontanus Marchicus.

JOHANNES Schmid/ Jeverâ-Frisius.

Hi crastino die post sacra matutina Bonarum Artium ac Phi-
losophiæ Baccalaurei solennibus usitatis publicè creabuntur.
Ab Academia Rectore Magnifico, Facultatum Omnium Proce-
ribus Amplissimis, & reliquo Civium Academicorum Ordine
atque Cætu florentissimo rogamus audientiam sesquihorulæ,
singulis nostra vicissim officia pro cujusque loco prolixè polli-
centes. PP. Lipsiæ d. 6. Nov. A. 1663.

m) in prodromo dissert. Chronol. c. 13. p. 270. & c. 3. Tabel des Weltspiegels p. 9.
tem cap. ult. sub fin. & c. 11. der Mittern. Schiffart p. 93.

LITERIS VVITTIGAVIANIS.

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

518





Handwritten text on the spine, including a prominent red initial 'P' and other black characters in a Gothic script.



65

ANUS *Jac. Thomaf.*

S PHILO-

CAE

PSIENSI

um salutatur, &

olicum

is

REORUM

HIÆ

randum

M DCLXIII



Farbkarte #13

